UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Medium terræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

cœleſtem Ieruſalem affectu, & deſiderio aſpirant: hi enim in hoc ferculo ampliſſimum præſidium, atque patrocinium experiuntur, cum hæc mater ſit viuentium, & omnium Aduocata. quæ omnia vberius cap. 16. 27 & 30. perſequemur. Quòd ſi intelligas media huius ferculi conſtrata eſſe iis, quæ ad eius charitatem, & amorem alliciunt; ſanè tot, tantaque ſunt in Virgine ſanctiſſima, quæ nos ad eius dilectionem inuitant, de quibus c. 34. agemus, ut nullus fere ſit, etiam ſi in peccatis verſetur, qui aliquo affectu erga Virginem non feratur. Atque hæc de Salomonis ferculo, in quo Deipara ſignificatur, dicta ſint.

Cap. 16. 27 & 30.
Cap. 34.

MONS DEI.

Virgo dicitur mons Dei. *Pſalm. 67*

31 HÆc propter ſuam in prærogatiuis ſublimitatem ſuper terrenos affectus aſſurgens Cœlo proxima eminus omnibus conſpicua, quam ſibi Deus ſingulariter elegit: *Mons eſt Dei*, Pſalm. 67. *In quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.* Ita illam appellant Andreas Cretenſis oratione 2. de dorm. & oratione de Annunciat. additque eam eſſe Montem adumbrantem, de quo Abacuch 3. Georgius Nicom. orat de oblat. Virginis, & Damaſcenus orat. 1. de dorm. dicit eſſe Montem pinguem, & orat. 1. de Natiuitat. Montem Dei. S. Gregorius ſuper 1. Reg. 5. eã Montem in vertice mõtium Iſa. 2. dictam putat, quia ſuper Angelorum choros meritorum verticem erexit. S. Bernardinus tom. 3 ſerm. 11. art. 1. cap. 2 quem capite ſuperiori citaui.

De hoc Monte Dan. 2. ſine manibus abſciſſus eſt lapis, id eſt. Chriſtus Dominus ſine viri opera. Id enim ita explicat Irenæus libr. 3. contra hæreſes cap. 28. Iuſtinus Martyr in dialogo cum Triphone, Chryſippus Presbyt. Ieroſ. hom. de beata Virgine, & Damaſcenus orat. 1. de Natiuitat. & orat. 1. de dorm. Hieronymus in epiſtol. 22. & in Dan. 2. Andreas Cretenſis, & Georg. Nicom. locis citatis. Auguſtinus in concione ad Catechumenos contra Iudæos, Paganos, & Hæreticos. Epiphanius ſermone de Virgin. Laud. Theodoretus in Danielem, Rupertus libro 1. in Dan. cap. 6. Heſychius homil. de laud. Virg. Beatus Laurentius Iuſtinianus ſermone de Annunc. Sanctus Bernardinus loc. citat, Noſter Pereria in Dan. lib. 2. quin etiam S Hieronymus epiſt. 22. animaduertit, ideo lapidem hunc dici abſciſſum ſine manibus, quia manus accipiuntur pro opere nuptiarum, iuxta illud Cant 2. *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Chriſtus porro eſt lapis firmiſſimus de Virgine abſciſſus probatus 1. Petr. 2. *Pretioſus, & angularis, qui facit vtraque vnum*, & cui omne ſpirituale ædificium innititur, qui contriuit ſtatuam illam Nabuchodonoſoris per viſum obiectam, quæ quatuor præcipuas Monarchias, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, atque Romanorum ſignificabat; ſiue, vt ait Auguſtinus tract. 1. in primam Ioannis epiſtolam, qui confregit omnia regna terrarum, id eſt, dominationes Idolorum, & dæmoniorum, & factus eſt Mons magnus, & impleuit vniuerſam terram, eique data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra.

Andr. Cret. Abacu. 3. Georg. Nico. Damaſc. S. Greg in 1. Reg. 5. S. Bernard. Dan. 2. De B. V. abſciſſus, & lapis ſine manib. Irenæus. Iuſtinus. Chryſipp. Damaſc. Hierony. And. Cret Georg. Nic August. Epiphanin. Theodoretus. Rupertus. Heſychius B. Laur. Iuſtinian.

Cant. 2. Chriſtus cur lapis dicatur. 1. Petr. 2. Virgo dicitur mõs unde exceſſus eſt lapis ſine manibus. Auguſt.

MEDIVM TERRÆ.

32 HÆc Pſalm. 73. appellatur Medium terræ. Ita Bernardus ſermone 2. in feſto Pentecoſtes: *Tunc*, inquit, *operabatur ſalutem noſtram in medio terræ, in vtero videlicet, Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur: ad illam enim tanquam ad medium, ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerũ cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in Cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequũtur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis; Illi qui ſunt in Cœlo, vt reſarciantur, & qui in inferno, vt eripiantur; & qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, qui ſequuntur, vt glorificentur*, & infra: *In te Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum, meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit.* hactenus Bernardus.

Pſalm. 63 Bernard. Medium terræ Deipara.

FONS HORTORVM, ET PVTEVS *Aquarum viuentium.*

33 HÆc eſt Cant. 4. *Fons hortorum, & Puteus aquarum viuentium*, quæ fluunt impetu de Libano, quibus ſanctorum animæ omnes quaſi cœleſtis Regis horti amœniſſimi, illi quidem, ac regio cultu, manuque conſiti, vberrimè irrigantur, ac fœcundantur:

Cant. 4. Fons hortorum, & Puteus aquarum Maria.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN